

1268, setembre, 4

*Andreu, fill de Guillem Bosser, de Celrà, es fa home propi de Cecília, priora de Sant Daniel, que té el lloc de la infermeria del monestir, per raó del mas Mosqueres de Celrà.*

ASD, núm. 199, perg. orig., 105 x 310 mm.

Sit notum cunctis quod ego Andreas, filius Guilielmi Bosserii de Celrano, liber et absolutus ab omni dominio et seruitute cuiuslibet uiuentis persone, gratis et ex certa sciencia liberoque animo et spontanea uoluntate fado et euenio me perpetuum hominem et solidum uestri, domine Cecilie, priorisse et infirmarie monasterii Sancti Danielis, scilicet officii infirmarie eiusdem monasterii, cum omnibus bonis meis habitis et habendis et prole a me de cetero nascitura, promittens uobis et illis omnibus qui de cetero tenuerint predictum officium infirmarie quod uos et ipsas et dictum officium habebo et tenebo semper pro dominis meis naturalibus et etiam reclamabo, et quod ad nullum alium dominum accedam nec reclamabo uel habebo, et quod uobis et predictis ero semper fidelis et legalis bona fide de cqrpore et auere. Promito insuper uobis quod in manso de Moscheriis qui est in parrochia de Celrano, qui tenetur per officium antedictum et ratione cuius ego euenio homo, ut fadam continuam residenciam personalem et quod ipsum tenebo condirectum et honores eius bene et fideliter laborabo et ero uobis et illis qui tenuerint locum uestrum de iuribus uestris fidelis et legalis in omnibus bona fide. Et pro premissis omnibus facio uobis homagium in presenti, iunctis meis manibus. infra uestras, et iuro per Deum et eius sancta .un.or Euangelia corporaliter tacta predicta omnia et singula rata et firma habere et tenere, atendere et complere et in omnibus obseruare.

Actum est hoc .n. nonas septembbris anno Incarnacionis Christi millesimo .ccLX. octauo.

Sig+num Andree, filii Guilielmi Bosserii, qui hoc firmo et concedo atque iuro. Huius rei testes sunt Berengarius de Burdillis, Berengarius de Cistella et Berengarius de Torrentano, clerci.

Ego Raimundus Ollarii (s. man.) de Palaciolo, scriptor iuratus curie domini episcopi Gerundensis, hoc scripsi cum suprascripto in .n. linea, ubi dicitur "infirmarie", die annoque prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 417-418